



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Academia Peccatorvm. Seu Conciones De Tota Parabola  
Prodigi Euangelici**

Qvae Poenitentia Peccatorvm Sev Conciones De Prodigi Evangelici Reditv  
Ad Patrem

**Bosquier, Philippe**

**Moguntiae ; Coloniae, 1615**

VIII.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55940)

Quare dilectissimi si serio in nos reuerti velimus, ac vitam malam in melius efformare, & Deo vacare toto corde, ante omnia curemus recolligere nostros sensus, & cogitationibus mundo seruientibus signū dare receptui, submouere negotiorum pluralitatem, & dicamus, animæ quisque suæ, quod veteres Romani in suis sacrificiis: *hoc age, sepone alia, seruias Deo toto corde: conscientiam tuam exhinc cogita, nihilque amplius. Porro vnum est necessarium.* Deus faciat nobis omnibus hanc gratiam.

CONCIO OCTAVA.

7. *Εἰς ἑαυτὸν ἡ δὲ ἐλθὼν εἶπε.*

7. *In se autem reuersus, dixit.*

7. *Quumque ad se rediisset, ait.*

*Græca.*

*Vulgata.*

*Syriaca.*

ARGVMENTVM.

- Dicemus } *1. In se reuersus exponi posse (per contra se) quod ubique pugna sit, & saepe contra ipsum Deum.*  
 hodie } *2. De triplici contra Deum pugna.*  
 } *3. Quomodo prodigus tandem pugnam inierit cum Satana, conuersus ad Deum.*

A V E.

I.

*In se reuersus exponi posse (per contra se) quod ubique pugna sit, & saepe contra ipsum Deum.*



**E**rgo vsque, dilectissimi, expositionem communem verborum, *in se reuersus*, secuti sumus: quæ voculam (in) pro *intra aut intro* accipit. Ac inde pulcherrimos, qui inde elici possunt, conceptus extraximus; forte plures quam necesse, omnes tamen (vt mihi videtur) admodum elegantes, melioresque quam in initio sperassem ex tali radice posse educi. Deo laus qui ea nobis inspirauit, *pro vestra exhortatione & salute.* Hodie tamen *1. Cor. 2.*  
 expo-

expositio mihi occurrit noua plane, atque extraordinaria, non tamen (vt opinor) reiicienda. Accipit aliquando uocula græca (Ε'ς) id est (in) latine pro aduersus, contra) contra gallicè. Æschines enim bonus author græcus, eam sic usurpat, Ε'ς τὸν δέιμον, ad-

*Cicero orat. sus populum.* Cicero etiam eadem significatione in *resp. ad Sall.* raro accipit, vt in oratione contra Salustium. *Cari debet omni uitio, qui in alterum paratus est dicere, & quia do sic inuectiuas suas inscribit in M. Antonium in Verrem in Vatinius &c. & nos cum dicimus, in paritiam dico, in Tyrannum pugno.* Atque si illud (in) ita uertamus, in se reuersus, significabit aduersus se reuersus, & uerba ista nobis innuent, quod Prodigus tandem arma sua, rationem, disceptationesque suas, contra se uerterit, id est, factus sit sibi contrarius, sibi inimicus, suorum accusator operum, qui antea nimia philautia indiscrete amauerat, quod sibi iam pugnam indicat, se culpans, se damnans, & qui antea suis patrociniabatur erroribus, iam factus sit actor suorum criminum.

*Quod petiit, spernit, repetit, quod nuper amisit.*

Nouus sed plane egregius uerusque conceptus, fecundus admodum, qui occasionem dabit docendi hodie, quomodo nunquam homo omni pugna careat, aut contra Deum, pro se & Diabolo; aut contra Diabolum, cōtra se pro Deo. Det Dominus vt tam uerberem fecundamque materiam, fecunde & salutariter pertractemus.

Ex quo mundus cœpit, certum est nunquam defuisse pugnas, non hominibus, non angelis, non Deo ipsi, non terræ, non cælo: semper ubique, inter omnes pugna: inter Deum & creaturas, inter Angelos & Angelos, inter homines & homines, inter Deum & Angelos, inter Deum & homines, inter ciuitatem Dei, in sui contemptu & Dei amore fundatam, & inter ciuitatem Diaboli fundatam in contemptu Dei,

*D. August.* & amore sui: harum ciuitatum belli duces sunt, Deus in *serm. cō-* ex vna, Satan ex altera parte. Ecquid dubitatis? *posuit mu. serm. 4.* aduersarius noster in calo bellum, dicit S. Augustinus. Lu-

cifer videns humanam nostram naturam, in Christo, & B. Virgine, exaltâdam supra se & omnem naturam Angelicam, mouit cælum factione, ac sibi asciuit assecclas & sectatores. Ex altera parte Deus S. Michael, bonosque pro se habuit Angelos.

*Apoc. 12.*

*Factum est pralium magnum in celo: Michael & Angeli eius praliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat, & Angeli eius: & non valuerunt neque locus inuentus est eorum amplius in calo. Et proiectus est Draco ille magnus, serpens antiquus qui vocatur Diabolus & Sathanas, qui seducit vniuersum orbem: & proiectus est in terram, & Angeli eius cum illo missi sunt.*

*Vide Fenar-  
dent. nostrum,  
Com. in E-  
pist. Iuda,  
pag. 202.*

Idem Satan etiam alias Deo bellum mouit, de sepultura ac corpore Mosis, quod Deus voluit esse incognitum, vt Iudæis ad lapsum inclinatis, idololatriæ fabricaret occasionem, aut de tuitione synagogæ, quæ corpus mysticum Mosis dicebatur, vt modo Ecclesia corpus mysticum Christi: multo etiam audacius in deserto, quasi confertis manibus Christo colluctari ausus est: sed acerrime ac cruentissime cum Iudæos & gētiles & ipsum œconomū eius Iudā proditorem (*Dux meus & notus meus*) ad crucem vsque ausus est armare, ac instigare. Nonne hæc dira Satane cōtra Deum prælia, & Angelorum in Angelos? Quid dicam de directis ac indirectis, certisque insidiis quas transfuga perfidus Deo suo collocavit.

*Psal.*

Nonne apertum fuit, & directe contra Deum bellum illud, quod eijciens orbe religionem veram, Deique cultum, tot gentibus, tot locis, idololatriam ac superstitiones induxit.

*Adgressus superisque Iouem detrudere regnis.*

Nonne nimium indirectum fuit contra Deum bellum; quando tam fraudulenter primos nostros parentes aggressus, mirabili stratagemate, sibi subiugavit duos illos Dei vasallos adeo simplices ac bonæ fidei? Nunquid manifestum bellum Deo infert, dum principem se facit mundi, ac per mille tentationes tot animabus dominatur? Deum petit scelestus, quando nos intercipit, & quia in ipsum nihil potest, hoc

hoc satagit vt nos destruat, & sternat statuas viuas, ve-  
rasque Dei quem odit, imagines.

Quia Diuinitati nihil in se officere potest, tentat  
fideles subditos, ipsosque Angelos, quorum impedit  
quantum potest suggestiones bonas, ad animarum  
salutem, ad corporum incolumitatem, vt cum prin-  
ceps regni Persarum, id est malignus spiritus, Persa-  
rum tentator, restitit Angelo Gabrieli vno & vigin-  
ti diebus. *Princeps regni Persarum, restitit mihi vigin-  
ti diebus.*

*Daniel. 2.*

*Luca 11.*

*Iob.*

Hic ille fortis est, cuius Lucas meminit, qui arma-  
tus custodit atria sua, hic mundi princeps, cuius im-  
perium inuasit ac vsurpat. Hic ille *qui factus, vt nul-  
lum timeret, Princeps super omnes filios superbia.*

II.

*De triplici contra Deum pugna.*

*Iob 7.*

*Senec. epi st.*

*51.*

**C**VM vita hominis quantumcunque longa (vt  
Iob loquitur) *militia sit super terram, & iuxta Se-  
necam nobis militandum, & quidem genere militia, quo  
nunquam quies, nunquam otium datur.*

Vnde & congregationem fidelium militantem ap-  
pellamus ecclesiam, quia semper sub armis agit. In-  
ueniuntur tamen homines ad eum infelices, qui non e-  
dant sub signis Satanæ, vt contra Deum pro sensualitate  
sua bellum famant: cum pro Deo, contra Satana-  
nam, & concupiscentias suas, sub crucis labara, vt  
Christi signo militare deberent. Vnus hoc, alius alio  
modo, ita numerum augent turmarum Satanæ, vt  
Christi agmen, multitudine sua, multum præcellat.  
*Angusta via qua ducit ad vitam, & pauci ambulant per  
eam. Multi vocati pauci vero electi. Ambigitis ne? S. Pro-  
pheta Iob clare id ipsum pronuntiat, & ad viam for-  
mam modumque horum Trasonum, præsumptuosius  
que exercitus depingit.*

*Iob 15.*

*Tetendit impius aduersus Deum manum suam, &  
contra omnipotentem roboratus est, cucurrit aduersus  
eum erecto collo, & pinguis ceruice armatus est.*

*Contemnens quasi vires diuinas, ac benefeputans*

*obte etum*

obtectum ob capitis duritiam, vnus autem ex sacro Mochabeorum septenario, quem cum reliquis fratribus Antiochus occidit, ita in faciem, coram omnibus Regi locutus est.

*Tu autem ne existimes tibi impune futurum, quod contra Deum pugnare tentaueris.* 2. *Matth.* 7.

Ipsē etiam Christus Iesus satis ostendit ab impiis bellose peti, quādo dicit, *qui non est mecum contra me est.* *Luca 11.*

Nihilominus illi prae reliquis contra Deum acies dirigunt, qui in corde suo dicunt *non est Deus*, aut verum reuera sit dubitant, vt olim Protagoras, aut Diagoras, publice affirmarunt nullum esse: aut si diuinū aliquod numen fassi sunt, vnum aut plures coluerunt Deos, falsos pro vero, Idololatras, adorantes Iouem, Martem, Venerem, saepe etiam opera manuum suarum, Aut si vnum verum Deum adorarint, Christum filium eius vnicum nec adorare, nec Deum fateri voluerunt. *Lactant. lib. 1. cap. 1. diu. instit.*

Iulianus Apostata Imperator Romanus, ac horum Antesignanus, in morte sua tam verbis quam factis testatus est, se Christo Iesu semper fuisse infectum. Refert enim Theodoretus, Tyrannum hunc, lethali vulnere incerto auctore afflictum, manum re-

*Theod. hist.*

plelle sanguine, & in altum excussisse, cum hac voce *Vicisti Galilae*, simul victorem pronūcians, & blasphemans, postquā se in expeditione contra Parthos septē

*Eccles. lib. 3. cap. 21.*

contra Christū Iesum libros in acie eduxisset. *Iulianus D. Hiero. e-Augustinus septem libros in expeditione Parthica aduersus Christum euomuit verius, quam scripsit.... Quamquam gnum Nazarenum nostrum, & (vt ipse solebat dicere) Galilaeum statim in pralio senserit, & mercedem lingua putidissima contumelias perfoffus acceperit. dicit S. Hieronymus.*

Sed dicit aliquis, nos istius generis non sumus, & si illi soli Deo repugnant, ac Diabolo militant, non potest tantus esse, quantum dicis, Satanicarum copiarum numerus. Respondeo. Illos omnes militantibus non conueniunt, quam pugnam intellectus dicimus alias disputationem, quae optime consistere potest sine inimicitias, ac voluntatum mutua alienatione *disserentium*

*Cicero lib. 1.  
de finibus.*

*IVS, VIS.*

*Galat. 2.*

*D. August.  
epi. ad Hier.  
lib. 1. epp.*

*Hiero. epist.  
17. edit. Ca-  
nissiana.*

*Ibid. epist.*

*18. ad D.  
August.*

*Ibid. Epist.*

*19. ad eun-  
dem.*

*serentium inter se reprehensiones non sunt vituperanda*  
inquit Cicero. Et hæc pugna est quam homines in  
homines maxime sequi debent *per disceptationem, per  
ratiocinationem, & viam Iuris*, quærentes superate-  
tione, non corporis viribus quæ bestiarum pugna est  
& causam robustiori adiudicat. *Ius in armis, lex iustitiae  
fortitudo nostra*, hæc intellectus pugna, vt plurimum  
inter doctos in qualibet scientia inuenitur, aliis affu-  
mantibus negatibus aliis, vn de celebratus vericulus  
*Grammatici certant & adhuc sub iudice lis est.*

Hæc pugna etiã inter S. Petrum & Paulum, de ob-  
seruatiã legis, sine charitatis offensa cõsistere potuit,  
*cum venisset Cephas Antiochiam, in faciem eius restitit,*  
*quia reprehensibilis erat.* Restitit Petro qui ad Iudæum  
inducebat gẽtiles. Talis pugna inter S. Hieronymum  
& S. Augustinum. Talis inter discipulos S. Thomæ &  
Doctõris subtilis, ac omnes multæ lectionis magni-  
que iudicij, de eadem re diuersim iudicant, non ta-  
men ob sententiarum discrimina se mutuo oderunt,  
*pugnant sententiis, non animis & voluntatibus.* Quod  
declararunt satis. S. Hieronymus & S. Augustinus, qui  
in maximo disceptationis seruore Dominum Iesum  
testem inuocat quod si à S. Hieronymi opinione dissi-  
deat, non hoc se contentiose facere, atque ad iritan-  
dum alterum; sed vt quid sentiat, simpliciter declaret  
in signum amicitiaë scribens quod sequitur. *O si li-  
cuisset, et si non cohabitante, saltem vicino, te in Domini  
perfrui, ad crebrum & dulce colloquium.* S. Hieronymus  
similiter beneuolentiam suam nihil hac disputatione  
læsã ostendens, dicit, *utinam mereremur comple-  
xus tuos, & collatione mutua, vel doceremur aliqua  
vel disceremus.*

Ac in alia quadam epistola *mibi decretum est te ama-  
re, te suspicere, colere, mirari, tuaque dicta quasi mea de-  
fendere.* Tales pugnas sæpe aduocati & patroni in cau-  
sis & litibus suis pugnant, quos aliquando ita in se  
mutuo detonare videris, ac tantopere ad partem ra-  
tionibus superandam contendere, affirmando, ne-  
gando, vt ne belli fulmina, nec Achilles in Hecto-  
rem,

rem, nec Alexander in Porum, nec Scipio in Hannibalem pro aris & focis vehementius certarint: cum tamen extra litem amplexentur se mutuo amicissime, hostes (vt aiunt) in causa, amici in mensa. Ecce vnam pugnae speciem; intellectus nimirum contra intellectum, ac notate eam obsecro bene quia sepe erit sui.

*Secunda* pugna voluntatum est, & affectuum, quando vnus hoc vult, alius aliud, alter astum, alter vmbra, siue iudiciis cōsentiant, idem de re speculatiue sentientes, ac vniiformiter iudicantes eam aut bonam aut malam (sicut aliquando accidit, vt in iudiciis conueniant, in electione autem amore ac odio rei eiusdem dissident) siue non: vbi enim non est *idem velle, & idem nolle*, quomodo potest amor consistere? voluntatum enim discordia, mater ac nutrix est bellorum, & hoc bellum secundum. *Tertium* bellū *via facti*, est quando quis aut dicit, aut agit aliquid, quo laedere aut offendere intendit partem aduersam, vel si id nō intendit, illud saltem quod agit, natura sua laedere atque offendere natum est. Non minus quam in veris praeliis insidiæ, direptiones, obtruncationes, incendia, ciuitatum excidia, agrorum vastationes, virginum & matrouarum hostiles raptus, & hoc Tertium. Agite igitur, ecce probo peccatorem quemlibet vno saltem horum bellorum, nonnunquam & tribus simul Deum impetere, si mihi concedatis (quod negari non potest) omnes nos peccatores esse, negare etiam non poteritis nos sub Satana, contra Deum, mereri stipendia, imo & contra nos ipsos nostramque vitam militare.

Probo igitur quod quilibet peccator primo militiae genere Deum impugnet. Primam pugnae speciem posui tenere opinionem alteri contrariam, ac eā manibus, pedibus, voce, vultu, pertinaciter rueri. Quid sentit Deus, & tu miser peccator quid sentis? Deus tenet portandā esse crucē, & clamat, viuat crux, viuat crux. Tu vero quid? non hoc, sed dicis sufficere si in aureo metallo portemus crucem, aut ex rosario aut ex collo pendeat; quod melius sit curare cuticulam



culam, volutari in vino & plumis, saltare, cantare, græcari &c. vita saltē moribusque hæc profiteris. *Inimicos crucis Christi* appellat Apostolus, tuæ classis homines. Deus tenet, *beatius esse magis dare quā accipere*. Tu vero quid? beatius est accipere quam dare, accipiendo enim diuites, dādo reddimur pauperes, Deo beatos esse humiles, ipsorum esse regnum caelorum, tu tenes humilitatem quā dicimus, speciē esse socordia & ignavia, Deus tenet non esse viciscendum hostem, Tu vero quid? qui agnū præfert, voratur à lupo nec frustra nobis datam irascibilē potētiam. In summa, quicquid Deus probat, tu reprobas, *va qui dicunt malū bonum, & bonum malum*, quod ipse tanquam verum, in materia fidei, tu tenes tanquam falsum. Deus in sacra hostia suum corpus, in sacro calice dicit esse suum sanguinem. *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*. Tu vero quid? negas, ai que figuram solum esse corporis & sanguinis, nec intellectum captiuare potes, nec rationem omnipotentis Christi Iesu (vt boni est catholici) subiicere. *In captiuitate in redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*, tuum semper sequeris cerebrum semper rebelle, semper obstreperum, *Et omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei*. Nonne hoc est primam contra Deū mouere belli speciem? quis dubitet? Hoc ipsum est quod Isaias plangit. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas*. Vere vere Christus signum est, cui maior sui exercitus pars, iuxta vaticinium senioris Simeon, contradicit. *Ecce positus est in signum cui contradicetur*, laudat & commendat rem aliquam, non minus ore quā vita, nos oppositam. Arguit & prohibet aliquid, nos quam uis possumus illud captamus. Quoties enim & quam feruide ipsi bellum facimus, præferentes nostram, voluntati eius, *fiat voluntas tua sicut in celo & in terra*, quam raro ex corde dicimus, & vt Christus Iesus in monte Oliueti, *non sicut ego uolo sed sicut tu*. Quam sæpe voluntati ipsius cōtraria flagitamus? Quoties uolui (ō Ierusalem, ô peccatrix anima)

2. Cor. 10.

Isaia 65.

congre-

congregare filios tuos sicut gallina congregat pullos suos sub alis & noluisse, dicit Dominus feruidis deplorās lachrymis & totus ad fletū resolutus, ac alibi: *vocavi & non misistis, vos semper spiritui Sancto restitistis*, vel corporis aures obturantes Prophetis, vel cordis aures inspirationibus. Sic igitur voluntate contra Deum rebellamus, quamuis eadem aliquando speculatiue iudicemus, probantes cum Deo hoc vel illud tanquam melius, non tamen illud diligimus, sed seditiosis factiosisque nostris voluntatibus cupimus *qua prohibet, negligimus quod iubet.*

*Video meliora proboque,  
Deteriora sequor.*

Quid. lib. Eleg. 2. Ele. 4. ] *odi nec possum cupiens non esse quod odi.* Ouid. lib. 7. Metam.

Fabricantes nobis infirmū, tolle propriam volūtatē & infirmum non erit, inquit S. Bernardus. In quem enim ignis ille desauiret, nisi in propriā volūtatē. Videre vultis quo furore propria peccatoris volūtas in diuinā maiestatem incurrat. Dicam vobis ex eodē S. Bernardo. D. Bern. ser. 3. de resurre. qui incipit. Sicut in corp medicina.

D. Bernard. ser. 3. de resur. Domini. ] Porro voluntas propria quo furore Dominum maiestatis impugnet, audeat & timeant serui propriae voluntatis. Primo nempe subtrahit semetipsum, & subducit eius dominationi, cui tanquā auctori seruire debuerat, dum efficitur sua. Sed addit adhuc, & quod in se est, omnia que Dei sunt tollit ac diripit. Quem enim sibi modum ponit humana cupiditas? nonne qui per usuram acquirit pecuniam modicam, similiter mundum lucrari conaretur vniuersum si non deesset possibilitas si suppeteret voluntas! dico fiducialiter: nemini qui sit in voluntate propria possit vniuersus mundus sufficere. Ipsum autem, & quod in ipsa est, Deum perimit propria volūtas. Omnino enim vellet eum peccata sua aut vindicare non posse, aut nolle, aut ea nescire. Vult ergo eum non esse Deum (qua quantiū in ipsa est) vult eum aut impotentem, aut iniustum esse aut insipientem. Crudelis plane, & omnino execranda malitia, que Dei potentiam, iustitiam sapientiam perire desiderat, hac est crudelis bestia, fera pessima, rapacissima lupa, leana & sauiissima. Vade iam, & discedes

quod nec pro, nec cū Satā, contra Deū & teipsū cer-  
tes, alia quā Deus, volens. Voluntas enim peccatoris  
ita Deū impugnat, vt omnes pugnae, omnes hostilita-  
tates, quae in Deū exerceri possunt *via facti*, hostilita-  
tes & peccata non reputentur esse, nisi voluntas hae-  
corum author sit. *Mala voluntas efficiens est operis mali*

*D. August. (dicit S. Augustinus) vsque adeo peccatum, voluntarium*  
*lib. 12. Ci- malum est, vt nullo modo sit peccatum, si non sit volunta-*  
*rit. cap. 6. rium, dicit tota schola post S. Augustinum. Veniamus*

iam ad tertium pugnae genus, quo *via facti* contra il-  
lam pugnamus. Deo *via facti* bellum facimus exe-  
quentes aliquid quod intellectus noster male con-  
sultus bonum iudicat, cui voluntas nostra seditiosa  
male consentit, contra sanum Dei iudicium, & san-  
ctam eius voluntatem. Cum aliquid aut dicimus cō-  
tra praecepta eius negatiua, blasphemantes, aut acci-  
pientes in vanum sacrosanctum nomen eius, reddentes  
falsum testimonium, suadentes aut docentes fal-  
sa, proferentes scandalosa ac indecentia, detrahentes  
proximo, vel etiam cum manu homicidia, latrocinia  
concuSSIONES, insolentias, violentias, subsignationes  
falsas, bonis persecutiones inferimus; quae Deus tan-  
quam in maiestatem suam admissa habet, dicit enim  
per Prophetam, *qui tangit vos tangit pupillam oculi mei,*  
& olim de caelo ac throno suo Christus S. Pauli auri-  
bus intonuit, cum ferro flammaque pauculos iupe-  
rosque vastaret Christianos, *Saule Saule quid me perse-*  
*queris?* & in nouissimo die dicit. *Quod vni ex minimis*  
*meis fecistis, mihi fecistis.* Cum denique prostituius ac  
abutiur corporibus nostris ad omnes concupiscen-  
tias carnis, ad inordinatos amores, rem quam & ve-  
teres & moderni veram appellarunt pugnam, & amatores  
milites: vnde veteres hi versus ab amoris magistro.  
Ouid. lib. 1. Eleg. Eleg. 9. ] *Militat omnis amans, & habet*  
*sua castra Cupido.*

*Acto. 9.*  
*Matth. 25.*

*Attico, crede mihi, militat omnis amans.*  
*Qua bello est habilis, Veneri quoque conuenit atas:*  
*Turpe senex miles, turpe senilis amor.*  
*Quos petiere duces: annos in milite fortis,*

Hos petit in socio bella puella viro.

Peruigilant ambo, terra requiescit uterque,

Ille fores Domina seruat, at iste, Ducis, &c.

Quis, nisi vel miles, vel amans, & frigora noctis

Et denso mistas perferat imbre niues?

Mittitur infestus alter speculator in hostes,

In riuali oculos alter, ut hoste tener

Ille graues vrbes, hic dura limen amica:

Obsidet: hic portas frangit, at ille fores &c.

Custodum transire manus vigilumque catervas

Milites, & miseri est semper amantis opus,

Mars dubius nec certa Venus: victique resurgunt.

Quosque neges unquam posse iacere, cadunt.

Et epitheta nostra gallica amantes milites appellat *Mauritius*  
*cupidinis, & amores dulces inimicitias, dulces pugnas in-* *de Porta tit.*

*cundas rebelliones, ac caedes. Quae verba nihil nisi pugna* *Amoureux*

*sonant. Et Apostoli de voluptatibus carnis loquen-* *in suis epi-*

*tes verbis eas explicant militaribus. Nominatim S.* *thetis.*

*Petrus, dicens, abstinete vos à carnalibus desideriis que* *1. Pet. 2.*

*militant aduersus carnem.* *Galat. 5.*

S. Paulus, caro & spiritus sibi inuicem aduersantur, & castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cum aliis predicauero ipse reprobus efficiar, facit ut milites qui hostem fame macerant, & sic sub iugum seruitutemque mittunt. Pugna igitur vna est, & quidem contra Deū vacare inordinatis carnis voluptatibus, vnde accenditur fomes peccati, qui nunquam cessat. Pugna hæc vastat, populatur, laniat, diripit Christianitatē multo crudelius, ac deducendas in cælū colonias populosque plures in infernum præcipitat, quam vllum bullum aliud. Imo sane, *Inter omnia certamina Christianorum duriora sunt prelia castitatis: nam ibi continua pugna, & rarior victoria.*

*D. August. in serm.*

*D. Grego. Naz. orat. de pauperum cura.*

Quod timeo, foueo quod amo, timeo: priusquam bellare incipio, concilior, & antequam pax fiat, dissideo.

Dicit quidam S. Pater de carnis stimulo. Bellum plane diuersum ab aliorum vitiorum pugnis. Alia enim vitia paucos affiliunt, sternuntq; certos: aliquos mendacia, fraudes, mercatores, ac vitilitigatores, rapinae

pinæ violentiæ militē; oppressiones Principem, au  
Præsidem; contentioſe diſputationes doctū; Similit  
eccleſiaſticū: ſolum carnis vitium omnes impugnat,  
omnes lacerat, neminē quantumcunq; ſanctum  
violentiæ putans exētum. *Non eſt qui ſe abſcondat i  
lore eius, vbi que ignem ſuum accendit nec cilicis p*

*D. Bern.*

*cet, nec ſaccis, magis quam ſericis: luxuria omnem  
dinem ſoluit, omnem gradum peruertit. Sericum nō tūc  
cilicium non curat, laſciuit in plumis, i. f. ſtat in paleis. Pu  
gna que ſternit ſep̄ nobiliſſimos milites, ac ſtrenuiſ  
ſimos exercitus Dei prælatos. Pugna in qua victor &  
victus, amans & amata, lethalibus ſe ictibus quoad a  
nimam cōuulnerant. Bellum quod omnes honores,  
facultates, ſanguinem, viresque exenterat. *Qui ſormi  
catur in corpus ſuum peccat, corpus ſuum vaſtat dicit S.**

*1. Pet. 2.*

*Paulus. S. Petrus. Abſtinetes vos à carnalibus deſideriis,  
qua militant aduerſus animam. Pugna ſtararia, neſcia  
fugæ, nec alio deſleſcit ſemel paſſa repulſam, luxuria  
dicunt Theologi, peccatum magna adhaſionis eſt. Vide  
tis iam opinor clare quomodo omnis peccator, pro  
Satana, contra Deum militet, & contra bonum ſuum  
nihilque neceſſe eſt vt publicatum à S. Iacobo Dei e  
dictum generale proponam, contra omnes mundi  
amatores. *Adulteri nescitis quia amicitia huius mundi  
inimica eſt Dei? quicumque ergo voluerit eſſe amicus ſeculi  
huius, inimicus Dei conſtituitur. Omnes interea hi ho  
ſtes, adeo infirmi, adeo ignaui ſunt, vt contra Deum  
bellantes non plus proficiant quam Titanes aut gi  
gantes, bellum mouentes Ioui, aut equus reſiſtens  
calcaribus: & ſi quid vincunt hoc tantillum eſt quan  
tum Deo, cui aduerſantur videtur, qui nō nunquā ali  
quantulū retrocedit, vt tāto lōgius inſilit, ac nouit  
loco & tēpore nō nihil de perdere, vt duplū lucretur.**

*D. Auguſt. lib. 12. ciuit. c. 13. Dicuntur in ſcripturis ini  
mici Dei, qui ad naturam ſed vitio aduerſantur eius imperio  
nihil valentes ei nocere, ſed ſibi. Inimici enim ſunt reſiſten  
di voluntate, non poteſtate ladendi, nihil enim referunt  
pili ſuum dānum.*

*Prouerb. 1. Ipsi contra ſanguinem ſuū contrariantur, &  
moliuntur*

*molitur fraudes contra animã suã, Stipedia peccati mors.*

## III.

*Quomodo Prodig. est tandem pugnam iniecit cum Sa-  
tana, conuersus ad Deum.*

SI inquam, dilectissimi, fel. ceter aliquis contra Deũ  
bellum incipit eruentum, furiosam, diutumam; ;  
ille certe noster est Prodigus: qui a iuuentute sua sub  
Diaboli signis miles ascrip. tu. , dixit patri: Age pater,  
huc loculos. *Dixit adolescentior ex illis patri: da mihi & c.*  
Accepta bursa statim ad libertatis regna cũ illa pro- *Iob.*  
fugit, ibique bonum diem egit; mensam habens  
à tergo, focum à fronte, amicam ex latere à dextris à  
sinistris, nocte in comessationibus, die in plumis no-  
ctem verterunt in diem, ac vno verbo lepide viuens, to-  
tũ se dedit voluptatibus, viuendo luxuriose, habet cõ-  
textus. Cogitate dilectissimi quot peccata sub verbis, *Eccle. 2.*  
luxuriose, contineantur. *Omnia que desiderauerunt oculi  
mei, non negaui eis, nec prohibui cor meũ, quin omni volu-  
ptate fruere tur, dicere posset cum Salomone. Atque ita  
creaturarum & mulierum deditus amoribus, magnũ  
suo reatori bellũ mouit. Sed Deo laus, bona de illo  
audite noua, in se autem reuersus, id est retrahens se ab  
hac pugna, soluens baltheum, seruicium que Diaboli,  
fugiens signa, ac abiiciens & spolians se us que con-  
gesserat, desertis partibus aduersis reuersus. Multũ præ-  
stitum, quamuis ad se tantum ab hinc reuersus: suspẽ-  
dens ex paxillo arma & domi sua quasi neutralem se  
continens. Initium enim amicitia est, contra partem  
illam quam impugnaueris, non amplius signa sequi  
inimicorum: & amicitia que dicitur non esse in festum  
nec ullam exercere hostilitatem. *Qui enim non est ad-  
uersum, pro vobis est dicit Dominus, sed amplius hic  
dicitur quod sic reuersus contra se, id est inuerso sagu-  
lo, aliam recepit militiae tesseram, alium colorem.* *Virg. 2. Æ-**

*Marci. 9.*

*Virg. 2. Æ-*

*neid.*

*Mutemus clypeos, Danaumque insignia nobis Aptemus.*

Aptemus, dicit quidam. Siue vt clarius dicamus, ab-  
dicata quã secutus erat militia, ad partes se contulit  
oppositas; factus latino nomine miles transfuga, adie-  
cit enim se hosti, obuertẽs caput & mucronem anti-

quis commilitonibus, secum pugnans etiam ipse.

*In sua victrici conuersus viscera dextra.*

*Lucan. lib. 1.*

Audax facinus, quod in mundo si deprehenditur, capite plectitur. Sed quid nobis hæc parabolicalis cutio in peccatoris opere insinuat. Quantum videtur, nihil aliud quam perfectam conuersionem, quæ consistit primo in deserendis, quæ male amaris, secundo in amando quæ male oderi. *Auerti a commutabili bono, & conuerti ad bonum incommutabile.*

Tertio in satisfactione, & quantum possibile in demolitione eorum quæ per peccata male struxeris, & tandem in reedificatione eorum quæ forte destruxeris. *In se reuersus.* Dicere vult peccatorem deseruisse militiam Diaboli & carnis, quam pro se educebat in auxilium, contra Deum; ac adscriptus inter Desertuos, spirituales milites, ratione contra Diabolum & carnem militaturus, quod antea horrebat: a castris & obsequiis Diaboli, contra Deum, rationem, & Spiritum, translatus ad castra & obsequium Dei, & redæ rationis; cōtra Diabolum, carnem & sensualitatem. *In se aut contra se reuersus* indicat, quod quasi cum S. Augustino retractationes fecerit primatum opinionum, ac mutata sententia, priores suos errores impugnet: vel quod cum ante putaret neminem nisi cum se posse amare, stultitiam esse & barbaram crudelitatem ferre crucem: mutauerit modo animum, dicens cum Christo qui amat animam suam perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam.

*D. August. stodit eam. Si bene oderis tunc amasti.*

Vel quod, cum hætenus totus pro carne sua steteret, pro sua sensuitate, contra spiritum & rationem, in seruitutem volens redigere eos qui ad imperium nati erant, & facere dominas quæ seruire debebant. hostis factus sit carni, amicus spiritui & rationi. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* Vel quod cum hætenus deperisset mulierculas, & quæ voluptate auergerent, nihil gustans rerum diuinarum, cum probasset vitam voluptuariam, deestatus duram viam crucis & mortificationis (*quia propter te mortificamur tota die,*

die, estimati sumus sicut oves occisionis) exinde iā odisset feminas, amæna omnia, & nusquam nisi in Deo oblectaretur: detestans voluptates carnis, commendans studia, veramque philosophiam, maxime Christianā; quæ nihil docet quā se mortificare, crucem portare. *Tota enim Philosophorū vita, Platonis sensu est iugis commentatio mortis (sensuum sc.)* Execrabatur vitam à se tranfactam, vellens capillos, tundens pectus, ac graviter se incusans. *Dimittam aduersum me eloquium meum: Peccatum meum contra me est semper. Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam.*

*Heu! qua me tellus, inquit, qua me aquora possunt Accipere: Aut quid iam misero mihi deniq; restat?*

*Vidi iam inuenem premeret cum senior atas,*

*Mærentem, stulte præterisse dies.*

*O mihi præteritos referat si Iupiter annos.*

Vel qui ante carni quicquid lubebat quam primū indulserat, venundatus ad mundana, ad superflua; iam surda præterit aure, nec satis quidem attendit necessaria; claudit velatque oculos ne quicquam videat; sepit aures spinis, ne quicquam audiat; claustrum iniicit ori, vt nec vitiosa aut otiosa, imo nec necessaria, loquatur. *Linguis loquentur nouis: si caro subilia postulat indusia, iniicit cilicia; si quærit delicias, imponit ei crucem; ac semper dat contraria inordinatis appetitibus.*

*Sapiens sibi, imperiosus*

*Quem neq; pauperies, neq; mors, neq; vincula terrent,*

*Respondere cupidinibus, contemnere honores,*

*Fortis: Bellum subit pro spiritu & ratione contra carnem. Vel qui mēbra sua iniquitatis fecerat organa, iam iustitiæ & bonorum operū facit instrumenta.*

*Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & Rom. 6.*

*iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.*

Vel qui antea alienæ semper infidiabatur pudicitie, scandalisans alios, seducens, corrupens; modo quantum potest aliorum cōuersioni incumbit. *Quis Psal.*

*consurgat mecum aduersus malignātes, aut quis stabit mecum*

*Plato in*

*Phadone.*

*Hieron. ad*

*Heliod.*

*Cic. 1. Tusc.*

*Vide nostrū*

*Orbis terra-*

*rem Conc.*

*1. pag. 8. e-*

*dit. Duac.*

*vel 6. edit.*

*Colon. Virg.*

*2. Æneid.*

*Tibul. lib. 1.*

*Elegia 4.*

*Horat. Sa-*

*tyr. lib. 2.*

*Sat. 7.*



*cum aduersus operantes iniquitatem?*

Summa, intellectus & voluntas plane ipsi mutati sunt: quod probabat antea, nunc improbat, quae mabat antea, nunc peste morteque peius odit, antea capitaliter oderat, modo efficit. Etiam ante plane aliam iam viam ambulat. Eundem esse vires, ita sensibus, ita affectibus, ita moribus, ita animibus mutatus est. O laeta patri eius nuntia.

Ita & nobis agendum dilectissimi si poenitere volumus; in hoc te exemplo, in hoc te speculo, in hoc Prodigio inspice; quem Christus Iesus ut forma proposuit, certumque ad Deum credendi modum.

D. Augustinus de Poenitentia. *Actio poenitentia tunc erit perfecta, & Deo acceptabilis, si ascenderit homo aduersum se tribunal mentis sua; & constituerit se ante faciem suam, ne hoc ei postea fiat, sicut comminatur Deus peccatori. Atque ita constituto in cor de iudicio, adsit accusatrix, cogitatio, testis conscientia, carnifex timor, inde sanguis anime confuentis per lachrymas profluat. (Vbi nota pulchrum dixisse Augustinum lachrymas anima sanguinem.)*

Nonne haec nominata illa peccatrix Magdalena fecit? nonne bellum in se conuertit? quando per utrumque oculum, duo ista fulgida lumina (quibus tot adolescentulos oppugnaverat, tot spiritus excacauerat, tot animas occiderat, sicut aspectu Basiliscus) Oceanum emisit lachrymarum, inundaui stragula, tota in feruidas diffusa lachrymas, publice in conuiuio, in domo Simonis leprosi. Quando ex aureo & crispanti capillitio (quo tanquam tereti & castibus tot corda inuoluerat) sudarium fecit, non ut Veronica, ad extergendam Iesu Christi faciem; sed ad extergendos pedes, pedes nunquam caleatos, & proinde bene puluerulentos, bene lutosos? Pedes ante ploratu rigatos, & proinde bene sordidos? Quando roseo ore (quod osculis, canionibus, animas ante depradabatur, infecerat, necauerat, basians Sapphice, loquens dulce, spirans aromaticae) tristis iam de mini osculabatur pedes, & terram sacris vestigiis calcatam, & omnium forte pedes conuiuatum? Quando

Luc. 7.

doodorata unguenta, & aromata ( quorum suauio-  
 dore magnam ad se turbam traxerat amantium, sicut  
 Panthera alias suauis afflatu allicit bestias, *Curremus  
 in odorem unguentorum tuorum* ) in benedictum totius  
 mundi caput profudit, quo alias consueuerat perugere  
 suum. Cum denique eisdem membris, eisdem brachiis  
 ( quibus tantopere impugnaverit & diuerberauerit  
 Deum, & animam suam sub Diaboli stipendiis fau-  
 ciauerat ) pro Deo, pro anima, contra Satanam cepit  
 deprehendi. Quid? Noster etiam S. Franciscus, quan-  
 do agere cepit poenitentiam, suis bellum indixit  
 opinionibus, actionibus, affectibus: sentiens, amans,  
 agens, plane contraria quam ante conversionem.  
 Audiamus ipsum si placet loquentem, & credamus:  
 testamentum enim hoc ipsum est, in morte, aut sal-  
 tem non diu ante mortem conditum, post accepta  
 Iesu Christi stigmata. *Dominus dedit mihi Fratri Fran- Ex prologo  
 cisco ut incipere facere poenitentiam: quia cum essem in testam. S.  
 peccatis nimis mihi videbatur amarum videre leprosos, & Francisci.  
 ipse Dominus eoduxit me inter illos, & feci misericordiam  
 cum illis. Et recedente me ab ipsis, id quod mihi videbatur  
 amarum, conuersum fuit mihi in dulcedinem anima &  
 corporis.*

Sic, sic etiam S. Paulus rem instituit, qui deserens  
 Synagogam, & Christum sequens, omnia faciebat  
 primis operibus contraria. Nam ex Christianorum  
 infestissimo persecutore factus eorum Patronus, ex  
 lupo agnus, ex fure & raptore dispensator. *Beniamin Genes. 49.  
 lupo rapax, mane comedet pradam, vesperi diuidet spolia  
 (vesperi postea:)* Ex destructore aedificator, ex eradica-  
 to. e plantator, ex Iudæo Christianus, Iudaismi ho-  
 stis infestissimus. *Paulus autem magis conualescebat, &  
 confundebat Iudaos, affirmans quoniam hic est Christus. Actor.*  
 Hoc, hoc est facere fructus dignos poenitentiae, quos  
 S. Ioannes Baptista magnus praeco poenitentiae, exi-  
 git. Faciamus & nos dilectissimi; Faciant sic & nostri  
 haeretici, deserant castra haeticorum, redeant ad  
 ordines & signa Ecclesiae, sibi ipsis bellum moueant,  
 palinodiam canant, dedoceant quae docuerunt, recan-  
 tens

rent errores quos cecinerunt, & linguas & calame  
 & eloquentia suæ arma, ad hæresis sui exterminiu  
 conuertant. Imitentur S. Augustinum suos prius in  
 pugnantem Manicheos, adiciant animos ad robo  
 randam doctrinam Catholicam, ad reducendos  
 seduxerunt, aut quod par est, alios æqua permun  
 ne in locum ipsorum Deus nobis gratiam illa  
 ciat, vt sic omnes conuertamur.

CONCIO NONA.

- Græca. 7. Εἰς ἑαυτὸν δὲ ἔλθὼν εἶπε.
- Vulgata. 7. In se autem reuersus, dixit.
- Syriaca. 7. Quumq; ad se redisset, ait.

ARGUMENTVM.

- Dicemus hodie.
- 1. Hominem esse admodum in negotiis inconstan  
 stantem, maxime in rebus saluis.
  - 2. Totum mundum in duas diuidi ciuitates  
 admodum diuersas.
  - 3. Quod homo partes & Principem saepe mu  
 tet.

A V E

I.

Hominem esse admodum in negotiis inconstan  
 tem, maxime in rebus saluis.



Alludit Au  
 tor hoc ver  
 si ad illum  
 Tibulli lib.

I. Eleg. 4. so  
 lis æterna  
 est Phæbo,  
 Bacchoque  
 iuuenta.

V M mille inter Deum & homines  
 discrimina sint, Auditores, præcipu  
 tamen mihi esse videtur essentia &  
 voluntatis ipsorum constantia atque  
 inconstantia. Deus enim secundum  
 esse & velle, suum semper idem ma  
 net, æque viuudus, æque vegetus, æque fortis,  
 que prudens; nihil patiens, nec crescens, nec dec  
 scens. Ego Deus (inquit per Prophetam) & non mut  
 inmortali florens æternaque iuuenta. Consilium m  
 stabit, & omnis voluntas mea fiet.

Hon